



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs II. De impossibilitate veritatis cum falsitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

TRACTATUS II.

De Impossibilitate veritatis
cum falsitate.

CAPVT I.

*An veritas eo vsque sit impossibilis cum
falsitate, ut eadem propositio ne successi-
ue possit esse vera, & falsa.*

MHI semper probabilis visum est, nullam propositionem mentalem, de qua sola sermo, esse posse veram in vno instanti, & in alio falsam, seu veritatem cum falsitate commutare. Ita Hurtadus disput. 9. de anima sect. 4. Arriaga disput. 14. log. sect. 2. Compton. disput. 45. sect. 1. & communiter nostri Recentiores in manuscriptis. Probatur autem hoc vnico argumento, quod tamen plurimorum instar existimo. Si qua propositio de vera in falsam migrare posset, maximè hæc abstractiua, & contingens, *Petrus currit*, aliavè eiusmodi: etenim, quæ intuitivæ sunt, aut nō contingentes, sed necessario veræ ea necessitate, quæ, vel ex obiecto, vel ex modo tendendi proficiscitur, in vno instanti veræ, & in alio falsæ procul dubio esse non sultinent. At ea propositio de vera in falsam ire nequit: ergo, &c. Minor probatur; haud enim maior est in ambiguo: ea propositio, vel affirmat, Petrum currere in duratione A. v.g. aut in duratione A, & B; & C. accateris vnus horæ, v. g. aut in duratione A, vel B. vel C. vel reliquis vnus etiam horæ, seu, quod perindè est aut in vna duratione, aut in pluribus determinatè, vel indeterminatè id necessario affirmat. Si in duratione A; aut Petrus in ea currit, aut non currit: si primum; propositio semper vera est, estò Petrus non currat antea, vel postea, cum profertur iudicium, haud secus ac diuina propositio circa idem obiectum vera est: si secundum, ea semper est falsa, vt luce clarius. Rursus si in duratione A, & B. & reliquis vnus horæ; aut in omnibus currit, aut in aliquo non currit: si primum; propositio semper vera erit: si secundum, semper falsa, eò quod veritas propositionis copulatiuæ non, nisi in collectione plurium possit salua persistere. Si demum in duratione A, vel B. vel C. vel aliis indeterminatè: aut in aliqua earum currit, aut in nulla: si secundum; propositio semper falsa erit; si primum; semper vera, propterea quod veritas ppositionis disiunctiuæ in vno solo facta, atque tecta possit conservari.

Respondent primò nonnulli, eam propositionem ab omni præscindere duratione, & nullam respicere. Verum hæc solutio inutili, & falso principio innititur. Inutili, quia, licet propositio illa nullam respiciat durationem, adhuc in ea idem procedit argumentum. Si quidem aut Petrus currit secundum se, aut non: si primum; ergo propositio illa affirmans, Petrum currere secundum se præscindendo ab omni duratione, semper erit vera: sicut enim, si affirmaret cursum in instanti A, cessatio à cursu in instanti B, eam postea non valeret falsificare, ita à fortiori, vt aiunt, hoc ipso, quod adstruat cursum secundum se circumscripto quouis instanti, cessatio

cursum in instanti B. aut alio quouis eam haud poterit reddere falsam, quantumcunque in eo propositio cursum affirmans perseueret. Si secundum; ergo ei propositioni semper falsum suberit, cum cursum secundum se adstruat, & is nequitiam detur.

Dices, licet ea propositio nullam durationem respiciat, habere tamen eum tendendi modum, ratione cuius ad sui veritatem postulet, Petrum currere in eo instanti, quo editur propositio: cum autem in primo instanti cursum propositioni coexistat, non verò in sequenti, in quo propositio durat, mirum non est, si ea in primo instanti sit vera, & deinceps falsa. Contra tamen sic arguo. Propositio ad sui veritatem postulat duntaxat, vt cursum existat eo modo, quo per ipsam representatur, cum veritas sit conformitas actus cum obiecto: sed propositio non representat cursum Petri sibi coexistere, siue existere, quando ipsa profertur: nequaquam ergo ad sui veritatem eiusmodi poscit coexistentiam.

Falso etiam principio tibicinatur ea solutio, vt dictum est. Namque in primis illa propositio, *Petrus currit*, significat actionem successiuam Petri, scilicet eius cursum, ac motum localem: at omnis successio essentialiter cum tempore coniuncta est, vt certo certius: ea igitur propositio tempus representat, & cum illo significat. Item secundò: Aristoteles lib. 1. de interpret. cap. 3. verbum definit, *quod significat cum tempore*, &c. cui eodè loci lect. 14. B. Thomas ad stipulatur, *anima*, inquit, *in componendo, aut diuidendo necesse habet adiungere tempus*: at ea propositio verbo constat, & more reliquarum affirmationum componit. Tertiò denique ad homines: ea propositio significat saltem existentiam cursum secundum se: sed omnis existentia secundum se est duratio quædam iuxta P. Suarez disput. 50. metaph. sect. 8. & alios non paucos eorum, quibuscum diceptamus: aut enim, inquit, existentia rei est omnino indefectibilis, & immutabilis, qualis est ea, per quam existit Deus optimus maximus; & est æternitas: aut est naturaliter indefectibilis, & supernaturaliter defectui obnoxia, qualis est existentia Angeli; & est æuum: aut est naturaliter defectibilis, & tamen permanens, & in suo esse successionis expers, cuiusmodi est existentia hominis secundum se, & ita est instans permanens, quo eam nomine appellat Durandus in 2. dist. 2. q. 6. aut demum est naturaliter defectibilis, & in suo esse successiuæ, ac diuisibilis, cuiusmodi est duratio, qua quis temporali labenti coexistit; & ita instans successiuum vnum aut multiplex nuncupari consuevit.

Secundo alij respondent, eam propositionem nullam esse ex tribus, quarum fit in argumento mentio, sed esse hanc, *Petrus currit in instanti*: quæ quid est, inquit, quapropter de vera transire non possit in falsam? Contra etiam arguo hunc in modum. Propositio indefinita in materia contingenti æquiualeat particulari, vt visum est supra lib. 4. tr. 3. cap. 2. parum ab initio: hæc igitur propositio, *Petrus currit in instanti*, æquipollet huic, *Petrus currit in aliquo instanti*, quæ profectò veritatem cum falsitate nequit commutare, vt largiuntur aduersarij.

Quorum propterea alij tertio respondent, propositionem illam, *Petrus currit*, æquiualeat huic, *Petrus currit in instanti mihi coexistenti*, quæ citrà dubium, inquit, de vera mutari potest in falsam. Contrà quoque sic argumentor. Hæc propositio, *Petrus currit*, supra se minime reflectit: quæ enim eius reflexionis necessitas? haud igitur affirmat Petrum currere in instanti, quod sibi coexistit. Deinde, vel asserit Petrum currere in omni instanti sibi coexistenti,

stenti, aut in aliquo instanti sibi coexistenti, aut in instanti A, v.g. sibi coexistenti; & ita vim principalis argumenti non effugit, sed in eam relabitur. Alias solutiones nostri argumenti, inter contraria solvendum, diluimus.

C A P V T I I.

Contraria solvuntur argumenta.

- 7 Propositionem mentalem mutari posse de vera in falsam, & e converso in diversis instantibus censent B. Thomas 1. p. q. 14. art. 15. ad 3. & clarissime q. 1. de verit. a. 6. Capreolus, Caietanus, Medina, Palacios, Gregorius, Okamus, & Durandus. Ex nostris Suarez disp. 8. metaph. sect. 2. Salas 1. 2. tract. 3. dist. 2. Bartholomaeus Amicus tract. 21. log. disp. 4. dubit. & conclus. 2. item Valentia, Conimbricenses, Rubius, Cæsius, & alij. Pro quorum sententia primum argumentum est huiusmodi.
- 8 Hæc propositio, *instans A existit*, prolata ante eius existentiam est falsa: sed non alia ratione, nisi, quia tunc absolute non existit: quandoquidem igitur postea absolute existit, si perseveret ea propositio vera erit, atque adeo veritatem cum falsitate poterit commutare. Respondeo: ea propositio dupliciter in instans A ferri potest: primo determinate, ac distincte, nimirum illud secernendo ab omni alio, hunc in modum: *instans A existit eo modo, quo existere potest*; & ita ea propositio semper vera fuit, & erit. Secundo ea propositio ferri potest in instans A indistincte, & confuse, videlicet non distinguendo illud ab omni alio instanti, a quo distinguitur, sed potius affirmando illud nunc existere, & esse instans præsens, videlicet Beo, quod hoc etiam indistincte, & confuse cognoscatur, ad modum, quo viso eminus Paulo eum esse Petrum adstruimus hanc in modum; *hic homo à me visus est Petrus*: & in hoc sensu allata propositio est falsa, & adveniendi alio instanti vera esse non potest, cum falsitas ei sit essentialis.
- 9 Secundum argumentum. *Conversio Petri futura est*, modò propositio vera est: at existente conversione, si perseveret, falsa non esse nequit, cum tunc conversio non futura sit, sed præsens potius. Respondeo: propositio mentalis conversionem Petri futuram affirmans, in hanc recidit: *carentia conversionis Petri existit in instanti A*, & conversio existit in aliquo alio posteriori; iuxta disputanda inferius tract. 4. c. 3. at hæc propositio etiam existente conversione vera est, ut intuitu perspicuum: quare propositio mentalis conversionem Petri futuram asserens, etiam ea præsentem, est vera. Cæterum hæc propositio vocalis *conversio Petri est futura*, sicut communiter proferri solet, & sicut ex parte rei proferri debet, existente conversione, vera esse nequit eo, quod voces de futuro futurationem rerum solam quando non existunt, & actu futurae sunt non verò quando existunt, & duntaxat olim erant futurae significare communiter soleant, & debeant: quod autem hinc sequatur, propositionem vocalem transire posse de vera in falsam, parum interest: eiusmodi enim consequens haud esse absurdum, sed potius rationi valde consentaneum cap. venturo liquebit.
- 10 Tertium argumentum. Hæc propositio, *Petrus currit*, existens in instanti A significat, Petrum currere in instanti A, & existens in instanti B, significat, Petrum currere in solo instanti B, & sic de cæteris: potest igitur transire de vera in falsam. Consequen-

tia est perspicua: quoniam si non posset transire de vera in falsam, maxime, quia significationem, & præsentationem variare non potest: at eam sustinet variare, si verum est assumptum in antecedenti. Quod probatur primo: quia hæc propositio, *homo currens in foro loquitur*, significat Petrum, si is sit, qui in foro currit, & loquitur: quod si non Petrus, sed Paulus in foro simul currat, & loquatur, eum proculdubio propositio illa postea significabit: eadem igitur propositio est indifferens ad significandum, modò hoc modò illud obiectum, ac proinde, nunc instans A, & postea solum instans B, poterit significare, sicut opus est, ut de vera in falsam transeat. Proximum antecedens suadet, quoniam ea propositio illud obiectum significat, ratione cuius verificatur, cum a solo obiecto sibi proposito vera reddatur omnis propositio: sed illa, qua de agimus, modò verificatur manere solius Petri in foro currentis, & loquentis, & postea beneficio solius Pauli in foro currentis, & loquentis: eadem igitur propositio est indifferens, & c.

Respondeo: Hæc propositio mentalis, *Petrus currit*, modo vnum instans, modo aliud repræsentare nequit: eademque ratione hæc propositio, *homo currens in foro simul loquitur*, non est indifferens ad repræsentandum modò Petrum, modò Paulum, sed ex essentia sua vnum, idemque obiectum, nimirum omnes homines indeterminatè semper significat, & repræsentat. Quod autem communiter dici consuevit, eam propositionem modò ab vno obiecto, modò ab alio verificari, id intelligendum est fuscè, & improprie, cum interim proprie, & rigorosè ab vno, eodemque obiecto semper verificetur, nimirum ab existentia indeterminata curius, & loquela alicuius hominis in foro: quæ, quia ratione solius Petri in foro currentis, & loquentis, & postea ratione solius Pauli à parte rei reperitur, ideo modò ratione vnius, modò ratione alterius, ea propositio latè verificari dicitur: ad modum, quo hæc propositio, *quantitas panis existit*, modò per actionem eductivam, modò per creativam ante, & post consecrationem dicitur, ac censetur verificari: non, quod actio aliqua eam propositionem verificet proprie, cum nulla eius obiectum sit, sed quod improprie tantum, videlicet, quia modò vna actio, modò alia facit, ut eius existat obiectum, sicut per ipsam affirmatur.

Dices: ea propositio verificatur à suo obiecto, propterea à parte rei existit: at à parte rei nihil indeterminatū existit: ergo, & c. Respondeo, distincta minori: nihil existit à parte rei indeterminatum indeterminatione, quæ omnem indeterminationem excludit: secus vero ea indeterminatio, quæ determinationem aliquam includit; de quo fuscè in Physica, ubi communem hac in re æquivocationem tollemus. Vide P. Compton. disp. 44. log. sect. 6. ubi benè defendit, actus nostri intellectus obiecta sua non posse mutare, pro eo, ac hucusque statuimus.

Quartum argumentum. Hæc propositio mentalis, *Petrus currit*, significat eum currere in instanti A, si præsens sit, & B, si præsens sit, & sic de cæteris: existente ergo instanti A illud absolute significat, & instanti B, non illud, sed hoc absolute significat: siquidem actus conditionatus purificata conditione in absolutum transit, absolutum inquam formaliter, aut æquivalenter, ac virtualiter: ea igitur propositio, modo vnum, modo aliud instans repræsentat, ac proinde de vera in falsam poterit migrare. Declaratur, & confirmatur, exemplo actuum voluntatis: nam contritio, siue amor Dei super omnia eo ipso, quod sit voluntas faciendi omnia ad salutem necessaria, virtualiter vult confessionem eo, quod

quod ad salutem necessaria sit: quod si Deus præceptum confessionis tolleretur, & in alicuius elemosynæ præceptum illud comutaretur, contritio in sequenti instanti, non confessionem, sed elemosynam virtualiter, siue æquiualeuter vellet, & amaret: similiter ergo actus intellectus in vno instanti vnum obiectum, & in alio aliud virtualiter significare, ac representare poterit, quod satis est, vt modo ratione vnus, & postea ratione alterius falsus sit, sicut actus voluntatis gratia obiecti solum virtualiter voliti frustrari, vt sic dixerim, aut efficax reddi potest. Idem cernere est in lege aliqua obligante ciues Galuenses, quæ modò obligat Petrum, si cuius Galuensis sit, & postea, non Petrum, sed Paulum, si forte Paulus ciuitate donetur, & Petrus ei nuncium remittat.

14 Respondeo: hæc propositio, *Petrus currit*, in mente conditionata non est: aliàs omnis omnino propositio foret conditionata, cum nulla possit absolutio excogitari, quam, quæ Petrum currere affirmat. Deinde, esto in mente conditionata sit, idque largiamur aduersariis, adhuc de vera in falsam transire non poterit: aut enim affirmat, Petrum currere in instanti A, si existat, seu præsens sit, aut in aliquo instanti indeterminatè, si existat, aut in pluribus collectiue, si existant: & quodcunque asseratur, aut semper vera, aut semper falsa erit: vt ex discursu principali perspicuum. Fateor tamen, eam propositionem, *Petrus currit in instanti A, si existit, & B, si existit* &c. eam, inquam, coniunctam cum actu affirmante instans A esse præsens, virtualiter representare Petrum currere in instanti A, & postea coniunctam cum actu affirmante instans B existere, siue præsens esse, virtualiter affirmare Petrum currere in instanti B. Cæterum hæc virtualis representatio, quam mutat, est denominatio extrinseca ei proueniens à diuersis actibus, videlicet his, *Petrus currit in instanti A, Petrus currit in instanti B*, quos successiue infert: quare virtualiter, & per denominationem omnino extrinsecam ea propositio in vno instanti vera, & in alio falsa erit, sicut propositio vocalis virtualiter, & per denominationem ab actu interiori, qui diuersus successiue esse potest successiue vera, & falsa esse potest: At formaliter, & per denominationem partialiter, aut totaliter intrinsecam ea propositio mentalis nobis obiecta successiue vera, & falsa esse nequit.

15 Quod autem de actibus voluntatis adducitur, doctrinam hanc potius confirmat, quam labefactat: siquidem actus conditionatus voluntatis intrinsecè, & formaliter idè semper vult, estò virtualiter, ac per denominationem adæquatè extrinsecam ab actibus absolutis, quos purificata conditione successiue inferre potest, modò vnum, modò aliud velle queat: qua ratione amor Dei super omnia, & consequenter eius, quod ad salutem necessariū fuerit posito præcepto confessionis, voluntatem absolutam confitendi infert, & in instanti sequenti eo sublato, & præcepta elemosyna huius absolutam efficit voluntatem, ac proinde in vno instanti confessionem, & in alio elemosynam virtualiter, & per denominationem extrinsecam vult, & adamat. Hinc etiam liquet ad exemplum legis, modò hos, modò alios obligantis.

16 Quintum argumentum duobus superioribus sat affine. Hæc propositio, *Petrus currit*, in instanti A est vera, quia tunc currit Petrus: deinde in instanti B non est vera, quoniam nec est vera, eò quod Petrus currat in instanti B. in eo enim non currit, vt supponimus, nec etiam, eò quod currat in instanti

A, nam eo transacto non representatur tale instans sed potius B, in quo, cum non currat, manifestum videtur, actum de vero migrare in falsum. Porro, quod variet hoc modo suam representationem, suadetur primò; quia actus ille solum representat, cursum Petri existere in instanti præsentis: sed instans præsens est B. hoc ergò solum postea respicit. Secundo, & fermè redit in idem: ideo primò representat instans A, quia sibi coexistit, & præsens est: sed postea instans B ei coexistit, ac præsens est: ergo &c. Tertio: illi actui essentialè est, quod non representet cursum, nisi de præsentis, non verò de præterito, aut futuro. At, si postea representaret, sicut à principio, instans A, tanè representaret cursum de præterito, & non de præsentis. Quarto: imago Petri eum nunc representat, quia his lineamentis præditus est: quod si ea mutaret, & in alio reperirentur homine, profecto non Petrum, sed alium exprimeret hominem eiusmodi imago, siue pictura. Similiter ergo actus intellectus nunc vnum obiectum, nunc aliud, instans scilicet A, & B, poterit representare.

17 Authores, tum huius argumenti, tum etiam duorum antecedentium à quæstionis scopo aberrare, eiusque statum omnino euertere mihi videntur. Etenim in præsentiarum illud à præcis, & melioribus scolasticis supponitur dissentandi causa, propositionem mentalem, quidquid semel exprimit, id semper exprimere, suamque ei representationem essentialè esse, atque inuariabilem. Hoc autem supposito quari solet, an actus possit migrare de vero in falsum manens idem intentionaliter, & in representando, ob solam mutationem physicam, quæ in eius obiecto contingere potest: sunt enim qui nobiscum sentiant, immutata representatione actus, hoc ipso eius veritatem non posse mutari, aut vlli esse vicissitudini obnoxiam: & sunt contra qui veritatem cum falsitate commutari posse existiment, tametsi representatio eadem maneat, videlicet, quia veritas coalescit ex representatione actus, & esse physico, quod representatur: quare, inquiunt hoc solo mutationem subeunte veritas mutari, & in falsitatem abire potest, ac debet. Verum, ubi representatio non sit actui essentialis, sed accidentaria, nullus, vt dixi, iuxta antiquos, & graues scholasticos remanebit quæstioni locus, omnesque, nemine excepto, veritatem actus mutari posse, & in falsitatem transire concedent.

18 Confirmatur: quoniam si potest mutari representatio actus, eius etiam veritatem cum representatione identificatam, aut certe eam instar passionis subsequenter mutari posse in alio instanti, euident, & inter omnes certum, & exploratum est: cur ergo disputatur in præsentis, an veritas possit in alio instanti sequenti desinere atque in falsitatem facessere, & non potius, an representatio actus mutari possit in diuersis temporis momentis, si in sensu ab his neotericis tradito quæstio procedit: haud enim quæ apud omnes comperta sunt, sed potius quæ incerta, in quæstionem solent reuocari: signum igitur est, præfatum sensum nulli priscorum, ac meliorum philosophorum in præsentiarum occurrisse.

19 Confirmatur iterum: quia qui disputant, an actus sit accidentaliter verus, sic, vt qui modo est verus, potuerit eodem instanti esse falsus in sensu diuiso prioris suppositionis, haudquaquam disputant, an representatio actus sit ei accidentaria, ita, vt quam modo habet, potuerit in instanti eodem non habere, sed aliam diuersam: quin potius omnes supponunt disputandi

disputandi causa, repræsentationem omnem actus ei esse essentialem: & hac suppositione facta vni docent, non potuisse actum vnquam esse falsum eo instanti, quo nunc est verus, videlicet ob peculiarem eius perfectionem: alij verò docent, illum in hoc eodem instanti potuisse esse falsum, nimirum quia, etsi repræsentatio eius non potuerit nunc non esse eadem, tamen eius obiectum à repræsentatione distinctum, & simul cum ea veritatem constituens potuit se habere aliter, sicut ad veritatem mutandam oportet. Similiter ergo in præsentem, vbi agitur de mutatione veritatis, non in vno instanti solo, sed in diuersis, & successiue labentibus repræsentationem esse essentialem supponi debet, & quidquid hoc non supposito adducatur, erit omnino impertinens & extraneum.

20 Confirmatur vltius: præsens quæstio est, an idem actus possit in diuersis instantibus mutari de vero in falsum: at, vbi repræsentatio variatur, haud est idem actus intellectus, sed diuersus, cum actus intellectus siue cognitio definiatur per repræsentationem obiecti: quod ergo adstruitur, actum conuerti posse de vero in falsum, quia mutare valet repræsentationem, non magis facit ad rem, qua de agimus, quam, quod aiunt, vinum in Cereris factis. Egregie quidem B. Thomas cit. quæst. 1. de veritate art. 6. vt aliorum Scholasticorum testimonia prætermittam, postquam inquit, *utrum veritas creata sit immutabilis*, pro parte affirmatiua hoc proponit argumentum: *si veritas enunciationis mutatur, maxime ad mutationem rei, sed re mutata veritas propositionis manet: ergo &c.* & in corpore sic respondet: *cum veritas sit adequatio rei, & intellectus, si ab vno equalitè aliquid tollatur, & non à reliquo, vel si ab utroque inaequalia tollantur, necesse est inaequalitatem provenire, quæ se habet ad falsitatem sicut equalitas ad veritatem. Inde est, quod si in intellectu, vero existente mutetur res non mutat intellectum, vel è conuerso, erit mutatio de veritate in falsitatem.* Pende quod ait in prioribus verbis, *ad mutationem rei*, non vero repræsentationis. Pende etiam quod inquit in posterioribus, *non mutato intellectu, siue repræsentatione.*

21 Iam secundo longè probabilius est, repræsentationem actus intellectus nostri nullatenus variari, aliamve esse posse in alio instanti, tum propter rationes haud paucas, ac, nisi fallimur, haud inefficaces adducendas in metaphysica: vt enim dixi, locus omnino alienus est: tum etiam quia eorum, quibus cum disceptamus, plerique docent, huic actui abstractiuo *Petrus currit*, repræsentationem cursus esse essentialem, adeoque nulli varietati subiectam: quidni ergo ei sit essentialis, quidni inuariabilis repræsentatio instantis, in quo curritur? Rationes verò contrariæ sunt parum operosæ.

22 Ad primam dicendum est, actum, de quo sermo, non repræsentare cursum Petri in quocunque instanti præsentem: quare, tametsi instans B. postea sit præsens, haud propterea sequitur, illud præ instanti A. actui obici, eive in munere terminandi succedere. Ad secundam rationem contrariam dicendum est, propositionem causalem, à qua incipit esse falsam. Ad tertiam dicendum est, haud etiam esse magis veram illius maiorem. Huic enim actui, *Petrus currit*, tantum essentialiter est, quod repræsentet cursum Petri pro aliquo tempore determinatè, vel indeterminatè. Quod autem cursus ille sit præsens, præteritus, aut futurus, nequaquam postulat essentialiter, sed ad vtrumlibet horum est indifferens: qua ratione scientia visionis Dei cognoscens, Antichristum v.g. extitutum in instanti A. est de futuro ante existentiam

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

talis instantis, eademque erit de præsentem, quam primum illud extiterit, ac de præterito post eius existentiam.

23 Vel secundo dici potest, si sermo sit de præsentem, præteritione, ac futuritione non absoluta ab omni tempore, quæ quidem est chimærica, & commentitia, sed de respiciente durationem aliquam; actum illum *Petrus currit*, etiamsi, sicut à principio, repræsentet cursum Petri pro instanti A. iam transacto, tamen eum exprimere talem cursum, vt præsentem instanti A. adeoque de præsentem sicut antea. Dices: ergo nulla propositio mentalis non est de præsentem, nulla de futuro, aut præterito: siquidem quævis intuetur obiectum vt præsens alicui instanti, saltem extituro, siue existentia functo. Respondeo, concessa sequela quoad priorem eius partem. & negata quoad posteriorem. Illam concedo, propter rationem in obiectione adductam: hanc verò, in qua sola potest esse aliquid incommodi; inficias eo: quia actus aliqui exprimunt carentiam rei ante eius esse, & alij post esse rei, eius carentiam: constat autem, utrosque horum, licet sint quodammodo de præsentem, esse tamen de præterito, ac futuro.

24 Ad quartam rationem contrariam dicendum est, repræsentationem imaginis, siue picturæ propriam esse similitudinem physicam quoad exteriora accidentia: hæc autem relatio more aliarum prædicamentaliū coalescit ex fundamento, & termino: vnde non est, cur mutato termino, ea mutari nequeat, & in vno instanti reperiri, secus vero in alio. Ac proinde repræsentatio artificialis in ea sita eadem potest, ac debet subire mutationem. Caterum repræsentatio cognitionis nostræ propria haud est similitudo physica, & vniuoca, sed analogica, & intentionalis, magisque nomen habet, quam vim similitudinis. Quamobrem haud est, quapropter sit in diuersis instantibus variationi vlli obnoxia.

CAPVT III.

Alia aduersus nostram sententiam diluuntur argumenta.

25 Sextum, quod mihi olim vim intulit, quod aliis postea placuisse comperio, sic habet. Propositio mentalis potest mutari de simili prædicamentaliter suo obiecto in non similem: potest igitur mutari de vera in falsam. Consequentia, quæ sola eget probamento, ostenditur, tum æquitate rationis; sicut enim similitudo prædicamentalis propositionis est conformitas illius in esse physico cum obiecto, ita veritas illius est conformitas eius in esse intentionali cum obiecto: rectè igitur à similitudine ad veritatem deducitur argumentum in præsentem: tum etiam quia propositio vera per idem constitui potest in ratione similis prædicamentaliter respectu sui obiecti, & in ratione veræ: vbi ergo valeat mutari de simili in non similem obiecto, & sustinebit mutari de vera in non veram. Probatur hæc vltima consequentia primò, quia quæ sunt identificata realiter, æque subiacent, vel non subiacent mutationi in tempore, sed similitudo propositionis est quandoque indistincta ab illius veritate: altera ergo si potest mutari in tempore, & poterit similiter altera: secundo, quia hoc ipso, quod veritas sit indistincta à conformitate cum obiecto, non poterit veritas mutari in tempore non mutata conformitate: hoc igitur ipso, quod veritas haud distinguatur à similitudine

I i tudine

tudine prædicamentali, quam nequit vna, eandem etiam nequit alia mutationem in tempore subire. Modo suadetur vltimum antecedens consequentia bifariam probata. Propositio repræsentans cursum Petri sibi coexistere constituitur in ratione similis prædicamentali cursum, partim per suam entitatem, partim per cursum Petri sibi coexistentem: atqui per hæc eadem constituitur in ratione veræ; negari ergo nequit, quin illa propositione sit indistincta veritas à similitudine prædicamentali: maior liquebit ex dicendis in Metaph. lib. 3. tract. 6. minor ostenditur, quoniam illa propositio constituitur vera, partim per suam entitatem, partim per obiectum ita se habens sicut repræsentatur per ipsam: cursum autem se habere uti repræsentatur per actum, est eum actui illi coexistere: actum igitur esse verum coalescit, tum ex entitate actus, tum ex cursu ei coexistente non minus, quam similitudo prædicamentalis.

26 Confirmatur: aliqua propositio potest repræsentare existentiam obiecti eo in statu, & sub iis circumstantiis, quæ requirantur, & sufficiant, ut ea sit prædicamentali similis obiecto; alii in illa propositione, & aliis id genus non poterunt non recidere in idem veritas, & similitudo prædicamentalis: nonnullis igitur in propositionibus est indistincta realiter veritas à similitudine prædicamentalis: igitur in eis potest mutari temporaliter similitudo, ita & veritas. Nec valet, si quis respondeat, veritatem, & similitudinem physicam, saltem virtualiter, debere esse distinctas, ut nequeant realiter distingui: virtuale autem distinctionem satis esse, ut altera possit esse mutationi obnoxia sine altera. Haud enim satis est, ut supponitur: si quidem mutari in tempore vnum extremum sine alio, est vnum esse, & aliud non esse: esse autem, & non esse distinctionem exigunt realem, nec sunt virtuali contenta: aliquid ergo mutari, & aliud non, eorum realem distinctionem petit, & virtuale respuit.

27 Respondeo ergo ad argumentum propositum, concessio antecedenti, & negata consequentia: nam similitudo physica actus cum obiecto, aliqua saltem, haud per ea duntaxat constituitur, verum ulterius per vtriusque absolutam similitudinem iuxta dicenda in Met. lib. 3. tract. 6. c. 11. & 12. cum ergo terminus modò possit esse simul cum fundamento, modò verò non esse; quid mirum, si fundamentum nunc ei possit esse simile, nunc non simile, sed dissimile potius? Atqui veritas actus eo solo, illiusque obiecto, non verò vtriusque similitudine absolute sumpta constituitur; & quin obiectum in sequente instanti sicut in præcedente coexistat actui, hic tamen ex æquo esse potest in vtroque verus: ac proinde haud est, cur veritatem possit, debeat cum falsitate commutare. En quatenus perperam arguitur à similitudine physica ad veritatem.

28 Ad primam probationem contrariam dicendum est, tamen in pluribus proportionem seruent veritas, & similitudo, siue conformitas physica, & intentionalis, non tamen in mutabilitate, & vicissitudine illa, de qua quæstio impræsentiarum; videlicet ob rationem discriminationis iamiam traditam. Ad secundam probationem contrariam dicendum est, etsi actus aliquis affirmet, Petri cursum sibi coexistere, tamen esse similem, tum per vtrumque extremum, tum etiam per absolutam vtriusque similitudinem eo in instanti, quo est similitudo physica: at veritatem eius actus esse vtrumque extremum, & non similitudinem eorum absolutam, sed ad summum se-

cundum quid, & aliqua cum moderatione: haud enim actum esse verum est absolute coexistere ei cursum pro quouis instanti, in quo existit actus, sed tantum pro eo, qui destinatus repræsentatur, siue tunc existat actus, siue postea, vel antea.

Ad confirmationem argumenti respondeo, propositionem mentalem non posse repræsentare obiectum in eo statu, & sub iis circumstantiis, quæ sufficiant, ut quotiescunque actus est verus, tum sit similis rei cognita, & è conuerso; sed tantum sub iis, quæ satis sint, ut propositio in aliquo instanti, quo est vera, sit itidem similis prædicamentali obiecto. Cuius ratio est ex dictis proliis, nam veritas similitudinem absolutam haud exigit, uti similitudo. Quamobrem nulla repræsentatio specialis efficere potest, ut veritas actus, & eius similitudo physica, seu conuenientia cum obiecto in idem omnino recidant: illa enim, ut sapissime monitum, constituitur per obiectum, siue sit existens, & simul cum actu, siue secus saltem in quodam instanti, imò in plerisque, secus verò hæc.

Septimum argumentum esto. Appetitus innatus potest in vno instanti satiari, & in altero sequenti non satiari, in vno violentiam pati, & in alio nullam. Mentalis ergo propositio poterit in vno temporis articulo verificari, & in alio non esse vera, sed falsitati subiacere potius. Consequentiam probo, quia nostrum argumentum, si quid probat, eodem, ac proportionali modo ostendit, non posse naturalem inclinationem materiæ ex. g. ad formam substantialem expleri in vno instanti, & in alio vim pati: etenim materia, ut his instructa dispositionibus appetit formam pro omni instanti, vel pro aliquo instanti, vel pro hoc destinatus A. v. g. vel præscindendo potius ab instantibus eum amat secundum se: quodcumque dicatur, vel semper, vel nunquam frustratur eius appetitus ingenuus, ut consideranti clarebit: si quid ergo valet discursus à nobis factus, tam procedit in propensione innata, quam in propositione mentali. Iam probo antecedens argumenti. Materia, si in primo instanti formam recipiat substantialem, quiescit appetitus illius, ut potest substantialiter completus: sin autem conseruetur diuinitus in sequenti instanti sine forma omni, certè insatiata manebit, atque, ut sic dixerim, violentata ob defectum complementi debiti: apertissimum igitur, ac luce clarius videtur, appetitum naturalem vno in instanti posse satiari, & in alio violentiam pati.

31 Confirmatur argumentum. Actus voluntatis potest transire de libero in necessarium, & de bono moraliter in malum: quidni ergo, & actus intellectus de vero in falsum? Antecedens alibi probandum est à nobis, & certe est plurimum, & grauium authorum. Consequentia liquet: ea siquidem ratione actus voluntatis potest libertatem cum necessitate, & bonitatem moralem cum malitia commutare, quia huiusmodi denominationes ultra entitatem actus important aliquid ei extrinsecum, & mutabile: sed veritas etiam, & falsitas præter entitatem actus concernunt aliud quidpiam ei extrinsecum, ac variabile: huius igitur extrinseci variatio potest, ac debet redundare in veritatem, & falsitatem, ac facere, ut vna succedat alteri.

3 Respondeo ad argumentum, sicut ad propositum paulò supra, satietatem appetitus innati esse relationem quandam physicam, & similitudinem boni quod amatur, eiusque absolutam possessionem petere. Cum ergo bonum eiusmodi possit nunc existere, & possideri, & postea nequaquam, haud mirum esse, si modo satiari

tiari possit, & expleri appetitus ingenuus, deinde verò frustrari. Hæc autem ratio non procedit in veritate, quippe quæ simultatem, & existentiam obiecti non depolcit. Hinc seruata proportionem ad confirmationem.

33 Octauum argumentum esto. Si veritas propositione huius, *Petrus existit*, haud posset mutari in vltimo instanti sequenti, certè in nullo posset destrui Petrus. Consequens est absurdum, absonumque. Ergo & illud, vnde sequitur. Sequela probatur. Ex suppositione quod Petrus existat, & propositio hoc affirmans sit vera, nequit actui deficere veritas, potiusque necessario verum est in quouis instanti sequenti Petrum existere. Atqui existere, ac destrui haud coherent, morantur vè inuicem. Nequit igitur in nostris principiis destrui Petrus, vbi semel existat. Hæc ratione Deus optimus maximus nulli subiicitur destructioni, quoniam eius existentia semel posita nequit deesse, & in quouis postea momento temporis, aut æternitatis necessario verum est eum absolute existere.

34 Respondeo, & perquam facile ad argumentum, totum illud laborare in equiuoco. Siquidem aliud est, in quouis instanti verum esse Petrum absolute existere, aliud, quod verum sit pro quouis. Prius illud ex nostra sequitur sententiâ, secus verò posterius. Ex priori autem haud fit, rem aliquam creatam non esse destructioni obnoxiam: quid enim obstat sempiterna veritas meæ propositionis obiecto, quod considero, extrinseca, ne sit temporale, & interitui subiectum? Ex posteriori verò (nimirum ex eo, quod verum esset, Petrum v.g. pro quouis instanti absolute existere, idque necessario) fateor inferri necessitatem Petri in existendo, & quod non posset destrui: at posterius illud omnino falsum est, & cum nostra sententiâ nihil habet commercij, vt dictum est. Exemplum autem Dei parum aduersariis prodest: haud enim ideo est destrui nescius, quia ex suppositione, quod sit, eum existere necessario verum est in quouis instanti, sed etiam, quia pro quouis.

35 Nonum, ac postremum argumentum. Propositio vocalis, siue iuxta aliorum phrasim mentalis in mente non vltimata potest mutari de vera in falsam, vt est per se conspicuum, & omnibus in confesso: at non, nisi, quia eius mutatur obiectum quoad esse physicum, non verò, quod illius significatio mutationem subeat illam: similiter ergo propter eandem mutationem obiecti propositio mentalis in mente, vt aiunt, vltimata poterit obire de vera in falsam.

36 Respondeo: propositio vocalis ita significat rem, vt quod, vt significet conceptum formalem rei, vt quo: proinde eius rei est signum, cuius conceptum formalem indigitat: cum autem eius conceptus formalis sit signum, ex quo oritur, oriri vero possit, modo ex hoc conceptu formali, modo ex illo, fit certe, vt nunc rem vnâ, nunc aliam significet. Vnde falso assumitur, propositionem vocalem semper idem omnino significare: hæc enim propositio, *Petrus currit*, vtunque semper significet, Petrum currere, si tamen præsupponat in mente loquentis conceptum representantem cursum Petri pro instanti A, significabit cursum Petri pro instanti A: quod si postea præsupponat in intellectu fantis, non illum conceptum, sed alium, quo representetur, Petrum currere pro instanti B, sanè affirmabit, ac significabit cursum Petri pro instanti B. At mutata significatione saltem ex parte nil mirum variari veritatem, & falsitatem cum significatione coniunctam: quando autem præsupponit hunc con-

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

ceptum quando aliud ex circumstantiis est colligendum. In propositione mentali aliter se res habet, vt potè quæ, nec ex toto, nec ex parte representationem, aut significationem mutare potest, ac per consequens, nec veritatem, aut falsitatem.

37 Aliter etiam responderi potest. Propositio vocalis significationem habet ex placito, & libito hominum volentium, vt his vocibus tale obiectum, vt representatum per talem conceptum significetur. At hominum placita varia sunt, & mutari possunt, & solent, atque adeo ex eorum mutatione mutari potest significatio propositionis vocalis: veritas autem propositionis vocalis in eius fundatur significatione: vocalis igitur propositio variari potest de vera in falsam, ac tam oppositas, distantesque denominationes ex intervallo subire: quamuis autem de facto, vt aiunt, haud contingat expressam significationem vocum mutari, & seorsim à quibusvis circumstantiis vi nouæ impositionis eas aliter, quam antea representare; ceterum casus adductus utilis est ad præsentem controuersiam, quippe in qua disputatur de possibilitate huius mutationis in ordine ad omnipotentiam Dei, etiam extraordinariam, & absolutam.

38 Enimuero P. Hurtadus in auctiori Philosophiæ editione superiori respondet argumento, propositionem vocalem non esse simpliciter veram, & falsam, sed secundum quid, nimirum quatenus mouet ad verum, aut falsum conceptum in mente audientis: quando igitur, modò potest ducere audientem ad verum rei conceptum, & modò ad falsum, nil mirum esse, si nunc possit vera esse, & postea falsa.

39 Displicet tamen hæc solutio, & non parum. Atque inprimis, contrà quam ea supponit, probabile est iuxta disputata superius lib. 6. propositionem vocalem, & externam esse simpliciter, proprièque veram, & falsam: quod enim sit vera per denominationem à conceptu interno, quem excitat in audiente fortassis non obest veritati eius propriè, ac simpliciter sumptæ: quo pacto qualibet res dicitur ab aliquo intellectu propriè cognita, & tamen haud cognoscitur, nisi per denominationem extrinsecam. Et quidem, vt propositio externa, & vocalis propriè significat, haud est forsitan, cur non obtineat propriam veritatem ac falsitatem cum ratione signi recurrentem. Sed de his sufficiant dicta suo loco.

40 Præterea: non ideo propositio vocalis est vera, quia mouet ad conceptum verum in mente eam auctulantis: quod igitur hæc ferri possit, modò ad conceptum verum, modò ad falsum, non propterea poterit enuntiatio vocalis cum falsitate veritatem commutare, Consequentia est in aperto. Suadetur antecedens: nam propositio vocalis est vera, aut falsa comparatione illius, quod significat, vt quod, vel vt quod: aut potius vtriusque gratia: sed propositio vocalis non significat conceptum audientis, vt quod vt per se, ac sponte sua patet, nec vt quod, quia voces sunt signa, quibus animi nostri, non alterius sensa exprimimus: exprimere autem est significare. Vnde propositio vocalis non significat, vt quod conceptum audientis, sed ipsius loquentis potius. Declaratur: significare est manifestare: vocalis autem propositio non manifestat alium conceptum, quam qui præsupponitur in loquentis intellectu.

41 Confirmatur primo. Reuelatio, & locutio Dei est vera essentialiter: & tamen non semper mouet ad conceptum verum in audiente: hic enim sæpè dissentit locutioni Dei euidenter credibili, vt cernere est in A catholicis omnibus: haud igitur eo locutio Dei, aut nostra est vera, quia elicit in audiente conceptum

ceptum verum; quamvis igitur possit, modò elicere hunc assensum in audiente, modò verò alium, non propterea eius veritas erit mutationi, aut vicissitudini subiecta.

42 Confirmatur secundò. Antea, quam propositio vocalis mediis speciebus, aut eis sine causet conceptum verum, aut falsum in audiente, est vera, aut falsa: eius igitur veritas, & falsitas non dependet à conceptu illo, in quem impellit audientem, atque adeò ex hoc capite colligi nequit mutatio veritatis in oppositam falsitatem. Suadetur antecedens, haud enim eget probamento consequentia: ideo vocalis propositio in hunc conceptum prae alio ducit audientem, quia ex libito, & instituto hominum hanc destinatam habet significationem: significat ergò pro supradicto priori, atque adeo tum est vera, vel falsa.

43 Confirmatur tertio. Præmissa falsa ex coniunctione cum vera inducit, & causat quodammodo conclusionem veram. Id visere est in hoc syllogismo: omnis lapis est substantia, Petrus est lapis: ergo substantia. Mentalis ergò propositio falsa manens, nihilominus mouet ad conceptum verum: haud igitur dicenda est falsa, quia mouet ad conceptum falsum, haud vera quia ad verum: similiter ergò propositio vocalis, & externa dici potest falsa, & non à motione ad cognitionem falsam, & vera independentem ab eo, quod moueat, alliciatque ad veram.

44 At dices. Quando quis decipit alium, propositio vocalis, qua alteri imponit, est falsa, cum sit mendax: sed non est falsa, aut cum mendacio coniuncta, ratione alicuius conceptus falsi, quem in mente loquentis præsupponat: falsa igitur est, eò quod moueat, impellatque audientem in errorem, & conceptum aliquem falsum: atque adeo hoc ex capite explicari potest mutatio illa, quæ cadit in veritatem externam, & vocalem. Maior, & consequentia sunt perspicuæ. Minor probatur: sæpe decipiens alterum non habet conceptum aliquem falsum rei, qua de loquitur: imo de ea scit aliter se habere, ac ipse per verba significat externa: non igitur id eò falsum ei subest, quia præsupponit in mente loquentis conceptum falsum, & erroneum.

45 Respondeo: ea propositio vocalis non est falsa, quod moueat, & impellat audientem ad conceptum falsum, quo res aliter ac est concipiatur, quando quidem antecederet ad hunc impulsus, & motionem est falsa, vt paulò suprà demonstraui, nec, quia præsupponit in mente loquentis conceptum falsum rei, vt probat instantia facta, sed, quia significat conceptum rei adesse in mente loquentis, qui tamen non adest, sed oppositus. Itaque dupliciter propositio vocalis potest esse falsa: vno modo, quia præsupponit in mente loquentis conceptum falsum, quem, vt quò significat, vt cernere est in hac propositione vocali, à Gentili aliquo prolata, *Deus non est*: alio verò modo, quia significat conceptum rei adesse, qui rei ipsa non adest: sicut enim propositio mentalis, & interna est falsa, eo ipso quod repræsentet obiectum existere, quod tamen non existit, ita propositio vocalis, & externa potest esse falsa, vbi significet præsentiam alicuius conceptus formalis, qui tamen non est præsens.

46 Secundo respondeo, ac ferme redit eodem. Aliud est præsupponere conceptum formalem, aliud illum significare; & alterum sine altero potest reperiri. Quando igitur decipit quis alium, eumque in falsam æstimationem, quam ipse non habet, inducit, voces quid em non præsupponunt rei ipsa conceptum falsum in loquente, at eiusmodi significant concep-

tum: bene siquidem potest conceptus non existens significare, sicut obiectum, quod non existat, haud raro tamen significatur existere in rebus.

CAPVT IV.

An ita sit impossibilis veritas cum falsitate, vt eadem propositio nequeat esse simul vera, & falsa respectu eiusdem obiecti.

47 Inter antiquos, & neotericos celebre est id genus propositionum, quas alij insolubiles, alij falsificantes, alij reflexiuas, alij demum inextricabiles appellant. Talis est hæc, *aliqua propositio falsa existit in instanti A*, de qua, an simul vera, & falsa sit, in præsentem controuertitur. Ratio dubitandi est, quia in euentu, quo in instanti A nulla alia propositio creata præter dictam existit (quod nullo iure possibile negari potest) vel ea propositio est vera; & ita simul falsa erit: siquidem ad eius veritatem requiritur, vt aliqua propositio in instanti A falsa existat, cum hoc affirmet: at nulla alia præter ipsam existit, atque adeo, nec falsa aliqua præter ipsam existit: igitur ad eius veritatem opus est, vt ipsa in instanti A falsa existat, vnde, vbi vera sit, simul falsa non esse nequit: vel eo in euentu eiusmodi propositio falsa est: & negari nequit, quin simul sit vera: etenim ad veritatem eius aliud opus non est, quam, vt aliqua propositio falsa in instanti A existat; at aliqua ita existit, nimirum ipsa.

48 En labyrinthum illum sophisticum per innumeras ambages, per infinitos flexus, & Mæandros ductum, atque reductum; mille viis imperuium, mille itineribus lectum, mille fallaciis irremediabile: vbi mès sui nescia se fugit, ac sequitur, eoque fertur, quo minime fertur: vbi millies ire, & bis millies redire cogitur, ac perpetuis erroribus irrequieta circumagitur: quò semel illapsa ne Theseio filio duce, & auspice elabi, aut cæca regere vestigia possit: tot nugis nugacissimi sophistæ hic sicubi alias ineptiunt, tot captiunculis tyrònum animos obcæcant, tot tricas propositiones inextricabiles intricant, tot nodis propositiones insolubiles magis irresolutas efficiunt: & quasi quæ in præsentem lucem merentur sine tenebris extenebrari non possent, à luce lucem abigunt, ac tenebris tenebras plus, quam Pharias, plusquam Cimmerias offundunt.

49 Respondent nonnulli apud Sotum opusc. de insolub. not. 3. eam propositionem reflexiuam non esse simpliciter propositionem, eò quod quiescenter non significet, & ad eius veritatem falsitas, & falsitatem sequatur veritas. Contra tamen sic arguo: ille actus vbi semel admittatur, manifeste aliquid affirmat: ergo est propositio. Deinde is actus, siue propositio sit, siue non, simpliciter verus, & falsus simul est, vt, & ratio dubitandi conuincit, & hi authores non negant, sed insinuant: difficultatem ergò non declinant, sed sub aliis terminis eam deglutunt.

50 Secundo alij apud Cicer. lib. 4. academic. quæst. & alibi sæpe censent eam propositionem reflexiuam, & quamvis aliam similem, nec veram, nec falsam, eo quod ex veritate eius, illius etiam falsitas, & ex falsitate sequatur veritas: quare altera alteram destruit, & neutra propositioni conuenit. Verum contra sic argumentor: ea propositio aliquid affirmat: aut ergo ita se habet obiectum, sicut affirmatur, aut non: hæc enim opponuntur immediatè: si primum; propositio erit vera: sin autem secundum; falsa. Deinde

Deinde contradictoria illius propositionis, videlicet, nulla propositio falsa existit in instanti A, ut vera, ut his Sophistis est in confesso: non est ergo, cur ei etiam propositioni, de qua potissimè sermo, veritas, aut falsitas non conveniat, cum à sua contradictoria hoc solo differat, quod hæc negatiua, illa verò sit affirmatiua: quod certè impertinens est, ut alteri potius, quam alteri veritas, aut falsitas debeat necessarid conuenire.

51 Tandem, propositio est oratio verum, vel falsum significans, Aristotele teste, quem reliqui sequuntur. At is actus est propositio. Pulchrè Cicero lib. 2. Academ. quæst. fundamentum dialecticæ est, quicquid enuntietur (id autem appellatur axioma, quod est quasi effectum) aut verum esse, aut falsum: quid igitur hæc vera an falsa sunt? si te mentiri dicis, idque verum dicis. Et lib. de fato non multum ab initio: nisi forte volumus Epicureorum opinionem sequi, qui tales enuntiationes, nec veras, nec falsas esse dicunt, aut cum id pudent, illud tamen dicunt, quod est impudentius, veras esse ex contrariis disunctionibus: sed quæ in eis enuntiatæ essent, eorum neutrum esse verum. O admirabilem licentiam, & miserabilem inscitiam differendi: si enim aliquid in loquendo, nec verum, nec falsum est, certè id verum non est, quod autè verum non est, qui potest falsum non esse? aut quod falsum non est, qui potest non verum esse.

52 Tertiò alij respondent, eam propositionem esse simul veram, & falsam, eo quod eius veritatem falsitas sequatur, & è conuerso, ut ratio dubitandi conuincit. At ne hæc solutio probabilis est, aut superioribus verisimilior. Namque impossibile est, idem realiter, & virtualiter tale simul esse, & non esse: quod principium adeo est euidens, ut à nemine possit negari: sed propositionem illam esse veram, est obiectum eius esse sicut affirmatur, & eam simul esse falsam, est idem obiectum, idem inquam, realiter, & virtualiter simul non esse sicut affirmatur: impossibile igitur est, eam propositionem simul veram, ac simul falsam esse.

53 Quartò respondent Petrus Hispanus, Sotus, & alij plures, eam propositionem esse solum falsam: quia, cum veritas eius, eius etià falsitatem, & è conuerso inferat, & ad utramque apparentiam habeat, utraque autem ei simul conuenire nequeat; potior ratio est, ut falsa sit, quam vera: tum, quia asserit se esse falsam, & non veram: tum, quia cæteris paribus denominatio partem sequitur debiliorem, falsitas autem debilior pars est in presenti.

54 Enimuero falsò supponunt hi authores, veritatem & falsitatem simul, & semel actui illi competere non posse, admissio etiam argumenti casu, quem certè admittere non grauantur: ratio enim dubitandi oppositum manifestè conuincit. Deinde ubi ea propositio falsa sit, eius etiam contradictoria, videlicet hæc: nulla propositio creata falsa existit in instanti A, simul erit falsa, quod & aduersarij concedunt, & intuenti manifestè constabit. Consequens autem ab aduersariis ultro concedi solitum euidenter refelli potest. Primò, quia contradictoria ab Aristotele definiuntur, quæ simul veræ, & falsæ esse nequeunt. Secundò, quia aliàs notissimum illud principium, quodlibet est, vel non est, manifestè rueret: siquidem contradictoriam affirmatiuam esse falsam, est obiectum non esse, sicut affirmatur, & contradictoriam negatiuam etiam esse falsam, est nò dari hoc, quod est obiectum non esse sicut affirmatur: aliquid ergo obiectum, nec est, nec non est sicut affirmatur: ex quo rursus infertur, aliquid simul esse, & non esse: cum enim dicitur res simul non esse, nec non esse, illud, nec non esse, perinde est, ac esse, eo

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

quod duæ negationes vnam efficiant affirmationem. Tertiò: Deus alicui ex iis contradictoriis assensum exhibet: ambæ ergo, si falsæ sunt, Deus falsum assensum feret. Quamuis autem non pauci dialectici præsertim antiqui concedant Deum per reflexionem decipi, & falli, id tamen à me nunquam impetrare poterunt, utpote quod impium, & sacrilegum arbitror. Quartò: eæ propositiones non essent contradictoriæ, sed contrariæ, quod tamen aduersarij negant. Sequela probatur: quoniam iis definitio contrariarum conueniret, nimirum haud posse esse simul veras, esse tamen posse simul falsas. Quintò: nulla contradictoria iuxta hos, quibus cum disceptamus, esse queunt simul veræ: ergo nec simul falsæ. Sextò: quando pars debilior essentialiter est connexa cum minus debili, denominatio non sequitur partem debiliorem, sed utramque: atqui veritas cum falsitate, & è conuerso eo in actu essentialiter coheret, & altera ex altera inuitabiliter infertur, admissa semel hypothese argumenti: iuxta eam ergo actus haud erit solum falsus, sed simul verus, ac falsus.

55 Quintò: Thomas Bricot, & cum eo non pauci dialectici respondent, affirmatiuam à nobis positam esse falsam: ob rationem initio numeri præcedentis traditam: cæterum negatiuam ei contradicentem esse veram, quia licet res non ita se habeat, sicut affirmatur, ac significatur per illam: at ad veritatem eius sufficit, ut affirmatiuæ se falsificanti contradicat: cum enim duæ contradictoriæ simul falsæ, aut veræ esse nequeant; ubi altera sit falsa suapte natura, eo ipso altera vera non esse non poterit. Alij sextò respondent, contra affirmatiuam esse veram, quia se verificat, & negatiuam esse falsam præcisè, quia ei contradicit.

56 Verum utrique displicent: tum, quia quid improbabilius, quam negare propositionem veram esse, quæ significat rem sicuti est, & falsam, quæ significat rem aliter, ac est? quorum tamen alterum hi, alterum illi negant. Insuper, utraque solutio supponit eandem propositionem simul veram, & falsam esse non posse, ac per consequens duas contradictorias simul veras, & simul falsas esse non posse. Cæterum hoc quod supponunt, neutiquam capere possumus admissio argumenti casu, quem quidem non reiciunt.

57 Septimò, Okamus, Alliaccensis, & plerique Nominales respondent, ppositionem illam controuersam non reflectere supra se, & in alias à se distinctas solum ferri, hunc in modum: aliqua propositio falsa à me distincta existit in instanti A: quæ inuentu argumenti omnino falsa est: eius autem contradictoria est prorsus vera, cum non significet, nullam propositionem falsam absolute existere eo in instanti, sed nullam à priori distinctam; quod verissimum est. Assumptum autem probatur: quia nullus actus intellectus supra seipsum reflectere potest, aliàs suipsius imago, & similitudo exitura: ergo nec ea propositio.

58 Hi quidem admissio eo principio, quod assumunt difficultatem omnino exhauriunt. Cæterum principium illud omnino falsum est. Siquidem tendentia physica longè operosior, & difficilior est, quam intentionalis, & ratione suæ imperfectionis plus postulat illa, quam hæc: quo pacto per actionem physicam tendere nequit agens in passum, nisi sit existens alicubi, nisi etiam sit præsens, nisi denique prius operetur in medio, cum tamen per actionem intentionalem, siue cognitionem ferri possimus in obiectum, quin sit existens in rebus, quin præsens,

I i 3 sed

sed absens quantumlibet, & tandem absque eo, quod prius cognoscamus in medio posita. At plures modi physici in seipsos physica ratione tendere, siue supra seipsos physice reflectere possunt, ut conspiciere est in actione ignis, v.g. productiua, ac simul per seipsam producta, nec non in vnione per semetipsam vnita, atque aliter res extremas, quas interiacet, neutiquam vnitura. A fortiori ergo cognitiones haud paucae in se intentionaliter reflectere, ac se cognoscere valebunt. Vide in Metaph. lib. 7. tract. 11. cap. 2. paulo post medium, tum hanc rationem latius propositam, tum alias quasdam aduersus Nominalium sententiam.

59 Octauo alij respondent, propositionem illam omnino repugnare: non, quia nulla propositio supra se reflectere potest: sed, quia nulla propositio capax est eius reflexionis, qua seipsam falsam esse affirmet: siquidem nulla propositio potest affirmare duo contradictoria: at propositio se esse falsam affirmans duo contradictoria affirmaret, videlicet obiectum suum esse, & simul non esse: ergo, &c. Minor probatur, quia in primis affirmaret obiectum suum esse, quod omni propositioni affirmatiuae commune est. Deinde affirmaret, obiectum suum non esse: siquidem propositionem falsam esse, est eius obiectum non esse: at ea propositio seipsam falsam esse affirmat, uti supponitur.

60 Verum actus intellectus, esto duo contradictoria explicite, & clare posita ut talia simul affirmare nequeat, saltem ex natura rei, & citra miraculum (de quo vide, si lubet dicenda à nobis in Metaph. lib. 7. tract. 4. cap. 8.) implicitum tamen, & confusum eis consensum exhibere potest: at propositio seipsam falsam esse affirmans, implicitè tantum, & confusè duo contradictoria affirmat; nec explicite, & clare contradictoria affirmare potest absque eo, quod se esse falsam, & se non esse falsam, affirmet, quod tamen non affirmat: quamobrem ex hoc capite ea propositio minime repugnat.

61 Assumptum constat primo: quia quoties intellectus concessis praemissis negat consequentiam, duo contradictoria implicite, & confusè adstruit, cum negatio conclusionis, seu conclusio negata praemissis contradicat, & negata identitate immediata extremorum, eorum mediatam identitatem virtualiter, & implicite neget, quam tamen praemissae simul affirmant. Secundo: cum rusticus credit, se peccare, si audiat sacrum, quia excommunicatus est, & peccare etiam, si sacrum non audiat, quia dies festus est, duo contradictoria confusè, & implicite asserit, videlicet se peccare, si audiat sacrum, & etiam se non peccare, si audiat sacrum: prius expressè, ut supponimus: posterius implicite, quia idem reipsa est eum peccare, si sacrum non audiat, ac non peccare, si illud audiat: quare altero explicite concessio alterum etiam implicite conceditur. Tertiò ex Aristotele 4. metaph. text. 19. hic actus, *omnis propositio est vera*, duo contradictoria implicite affirmat, videlicet se esse veram, & etiam se esse falsam. Cum enim affirmet, contradictoriam suam esse veram & hoc idem sit, ac ipsam esse falsam, sanè se esse falsam affirmat. Rursus eadem ratione hic actus, *omnis propositio est falsa*, se etiam esse veram, atque adeo duo contradictoria implicite affirmat, ut ex Aristotele constat ibidem: non igitur est cur ex titulo ab aduersariis allegato controuersa propositio repugnet.

62 Tandem alij respondent, eam propositionem, in euentu argumenti, esse omnino falsam: non ob ra-

tiones, quibus Sotus, & alij nituntur: sed, quia ea affirmat, se esse veram, quod omni propositioni commune esse censent, & simul affirmat se esse falsam: quo fit, ut duo contradictoria adstruat, atque adeo sit essentialiter falsa. Contra tamen sic argumtor primo: non omnis propositio de se esse veram, aut aliud quidpiam formaliter affirmat, ut ostendam Metaph. lib. 7. tract. 11. cap. 2. Deinde ea propositio determinate affirmat, se esse veram, si se esse veram vllatenus affirmat, & indeterminate tantum, & in disuncto cum aliis propositionibus se esse falsam adstruit: in quo quæ repugnantia est? nulla certè, cum aliud non sit, quam ipsam esse veram, & ipsam, vel aliam esse falsam. Præterea, esto ea propositio duo contradictoria affirmet, non est quapropter ea copulatiuè affirmet, & non potius præcisiuè, siue dispartè: non igitur est, cur illa propositio sit omnino falsa, & non potius simul vera, & falsa respectu diuersorum, ad modum, quo hic actus, *Petrus currit, Petrus non currit*, si possibilis sit, non omnino falsus est, sed simul verus, & falsus intuitu plurium.

Denique, darentur simul duæ contradictoriae falsæ iuxta hunc sentiendi modum: siquidem hæc propositio, *aliqua propositio falsa existit in instanti A*, est falsa, ut ipsi quibus cum disceptamus supponunt, & hæc etiam, *nulla propositio falsa existit in instanti A*, falsa est, ut intuitu clarebit, cum tamen priori contradicat. Dicunt nonnulli aduersariorum, haud posse dari simul, & semel contradictoriam propositionis positæ, eò quod supponatur casus, in quo sola falsificans existat. Contra tamen, quia licet sola illa propositio reflexiua in instanti A supponatur existens, non est tamen, cur in instanti sequenti eius contradictoria, nimirum hæc, *nulla propositio falsa existit in instanti A* à Petro non proferatur: si ergo propositio reflexiua conferuetur à Paulo, quin prius eam protulit, sanè duæ contradictoriae simul falsæ à Petro, & Paulo in instanti B. proferentur. Contra secundò, quia duæ contradictoriae, neque successiue possunt esse falsæ respectu eiusdem obiecti, ut cernere est in his propositionibus; *Petrus currit in instanti A: Petrus non currit in instanti A*, quæ etiam si successiue proferantur, haud possunt esse ambæ falsæ, haud etiam ambæ veræ: vbi ergò propositioni reflexiuae eius contradictoria in alio succedat instanti, quod certè contrà hypothesim argumenti non est, iam duæ contradictoriae erunt successiue falsæ. Contra tertiò, quia contradictoria propositionis reflexiuae in mente diuina est: erit ergò in Deo simul falsa, atque adeo absurdum non euitatur, sed cumulat.

Quamobrem planius, ac facilius respondetur, propositionem illam insolubilem, siue inextricabilem, in euentu argumenti omnino impossibilem esse interius, ac mentaliter, iisque vocibus, *aliqua propositio falsa existit in instanti A*, tantum subici in mente hunc conceptum; *aliqua propositio à me distincta existit falsa in instanti A*, cuius contradictoria est falsa, & ipsa vera: in quo cum septima, & octaua sententia conuenimus, & à reliquis dissidemus. Cæterum in alio euentu, quo aliqua alia propositio falsa existit in instanti A sanè propositio controuersa quoad totam suam entitatem, ac representationem sibi essentialem existere potest, eo quod tum se non falsificet: in quo cum reliquis sententiis consentimus, & ab octaua, & septima dissentimus.

Decisionis nostræ inter extrema aliorum mediæ posterior pars est perspicua: tum, quia in eo, quod asserit,

asserit, nulla videtur contradictio: tum propter dicta paulo supra, & alibi aduersus Nominalia sententiam, & sequentem proximè. Prior pars suadetur, quoniam id est impossibile, ex quo sequuntur contradictoria: sed ex propositione reflexiua in argumenti sequuntur euentum: tum ergo ea repugnat. Minor suadetur primò, quoniam sequitur simultanea veritas, & falsitas eiusdem propositionis, vt in ratione dubitandi apertè demonstratum. Secundò, quia sequitur subalternantè esse veram, & subalternatà esse falsam: hæc enim, propositio in instanti A solitariè, prolata, aliqua propositio particularis existens in instanti A, est falsa, haud dubie falsa est, quia se falsificat, & hæc, omnis propositio particularis existens in instanti A est falsa, hæc, inquam, est vera, cum se non falsificet, nec supra se reflectat, eo quod non sit particularis, sed vniuersalis: at prior est subalternata, & posterior subalternans. Tertiò demum, quia sequitur præmissas esse veras, & conclusionem esse falsam: siquidem in hoc syllogismo, omnis conclusio existens in instanti A est falsa, sed aliqua conclusio est existens in instanti A: ea ergo, quacunque sit, est falsa in instanti A, in hoc inquam, syllogismo, casu quo præter eum nullus alius syllogismus, aut actus intellectus existat, præmissæ sunt veræ, quia se non falsificant, nec sunt reflexiue, & conclusio est falsa, quia in se reflectendo se falsificat, cum tamen ex præmissis recte deducatur.

66

Et quidem vti assensus in sensu composito dissensus circa idem obiectum in eodem intellectu impossibilis est, secus vero in sensu diuiso, non video cur è contrario propositio illa falsificans, de qua hætenus, impossibilis esse nequeat in sensu diuiso alterius propositionis falsæ existens in instanti A; secus vero in sensu composito, cum ex illo priori, non verò ex hoc posteriori contradictoria sequatur, vt huiusque ostensum. Quod si de hac falsificante, ego sum falsa, sermo sit, vt præcis dialecticis esse solet, ea absolute, & in omni euentu impossibilis: siquidem simul vera, & falsa esset, & implicancia misceret. Qui plura velit de insolubilibus videat Nazianzenum oration. 3. de Theolog. Ciceronem locis superius citatis, Iulium Castellam aduersus academ. Ciceron. Antonium Cassilius, Dominicum Sotum, & Lemosium.

CAPVT V.

Simultas veritatis, & falsitatis in eodem actu respectu eiusdem obiecti discutitur ulterius.

67

EAndem propositionem intuitu eiusdem obiecti esse posse simul veram, & falsam probari potest, & solet hunc in modum. Ineat Deus hoc pactum cum Petro v.g. si prima propositio, quam protuleris, sit vera, gratiam tibi infundam, aliter eam non infusus. Quo posito prima propositio à Petro elicta sit hæc, in gratia non sum. De qua vera, an falsa sit interrogatus. Si vera: Deus ergo, gratiam Petro statim infundit, aliàs pacto inito non statuimus: eo autem ipso, quod ei gratiam illicò infundat, propositio illa simul falsa esse debet, siquidem gratiam infusam esse negat. Si autem ea propositio falsa sit, simul etiam vera esse debet: aut enim Deus gratiam Petro infundit, aut non? si secundum, ea propositio manifestè vera erit, vt potè quæ gratiam negat infusam: si primum, etiam vera non esse nequit, nisi

enim vera esset, Deus Petro gratiam non infunderet: id enim pactus est, vt supponimus.

68

Respondet, ea propositio omnino vera est: ex quo neutiquam sequitur, quod Deus Petro gratiam infundat, sicut ad simultaneam falsitatem eiusdem propositionis oportet: nam, cum Deus pacificetur Petro gratiam infusurum, si prima propositio ab eo prolata vera sit, id intelligendum est, si veritas ea cum infusione gratiæ compossibilis sit, secus verò, si impossibilis, aliàs promissio Dei ad impossibile ferretur, qui enim pollicetur aliquid sub aliqua conditione, quod ipsi conditioni repugnat, & impossibile est, aliquid eum impossibile promittere, manifestum est. Cum ergo veritas eius propositionis, ego non sum in gratia, impossibilis sit cum infusione gratiæ, & conuerso, inde est, vt Deus sub conditione, quod ea propositio vera sit, gratiam se non promittat infusurum, sed tantum ex hypothesi, quod alia. Eiusmodi ergo propositione prolata à Petro, Deus ei gratiam in fundere minime tenetur.

69

Secundum argumentum pro simultate veritatis cum falsitate in eodem actu, & contemplatione eiusdem obiecti tale esto. Hoc ipso, quod duæ contradictoriæ sint simul veræ, alterutra earum est simul veræ, ac falsæ: vera, vt supponitur: falsa, quia qualibet aliam falsificat. Atqui duæ quædam contradictoriæ sunt simul veræ, scilicet hæc: omne inintelligibile non potest intelligi, seu cognosci, aliquid intelligibile potest intelligi. Quod ad priorem attinet, eam esse veram, probatur; siquidem idem est formalissime, rem esse inintelligibilem, ac non posse intelligi: enuntiatio ergo, quæ inintelligibile non posse intelligi adstruit, verissima est, cum idem de eodem enuntiet. Deinde suadetur, posteriorem esse veram: namque id, de quo aliquid affirmatur, est intelligibile, imò actu intelligitur, & cognoscitur: at de inintelligibili aliquid asserit secunda propositio; ergo est intelligibile: posterior ergo propositio, quæ illud esse intelligibile, siue posse intelligi affirmat, est vera, vt quæ maxime.

70

Respondeo: eæ propositiones obiectæ contradictoriæ sunt, & adhuc veræ: idem enim subiectum vtriusque chimericum, & impossibile est, quia de eo verificantur duæ contradictoriæ: quamobrem à communi regula contradictoriarum, qua statuitur, haud posse eas esse simul veras, quæ sunt de subiecto impossibili, sunt excipiendæ. Quod etiam communiter dici consuevit, contradictoriarum alteram falsificare alteram, id intelligendum est, quando non sunt de subiecto chimerico, nec possunt esse simul veræ. Proinde earum, quæ obiciuntur in præsentia, nulla reddit aliam falsam, sicut oportet ad alterutrius simultaneam veritatem & falsitatem.

71

Respondet secundo, eas propositiones fortassis non esse contradictorias. Pro cuius luce animaduertito, cum dicuntur propositiones contradicentes, inuicem debere esse eiusdem de eodem, opus esse, vt subiectum non solum sit idem respectiue, & in ordine ad propositiones, ita, vt de eodem vtrique, quod enuntiat, enunciet, verum etiam in se absolute, ita, vt subiectum sibi idem, & coherens sit, hoc est, vt plura inuicem repugnantia non sit. Cum ergo subiectum earum propositionum hoc posteriori intellectu idem non sit, & plura sibi minime eadem, & coherencia, sed potius opposita: & impossibilia, de more reliquorum entium rationis, inuoluat; inde est, vt eæ propositiones contradictoriæ non sint, aliore modo oppositæ. Quandoquidem ergo neutra opponitur alij, quid mirum, si neutra falsificetur

falsificetur ab alia, sed potius alterutra sit tantum vera, ac non simul falsa?

72 Tercio obiici consuevit: Hæc propositio, si daretur homo equus, esset rationalis, est simul vera, & falsa: ergo &c. Suadetur antecedens. Homo connectitur essentialiter cum rationalitate: sed, si daretur homo equus, esset homo; ergo, si daretur homo equus, esset rationalis, adeoque propositio modò hoc affirmans est vera. Pari ratione equus connexionem habet essentialem cum irrationalitate, siue carentia rationalitatis, at si daretur homo equus, esset equus: ergo esset irrationalis, aut, quod perinde est, non esset rationalis; ac proinde propositio nunc affirmans eum ex hypothesi illa futurum rationalem est plane falsa.

73 Prima solutio huius argumenti est, eam propositionem esse omnino falsam, & non veram: quia, homo equus, est tantum homo chimerice, & secundum quid: illud enim additum, equus, facit, ne sit simpliciter homo multò magis, quam, cum dicitur, homo pictus, particula, pictus, hominem diminuit, aut potius alienat: quare si daretur homo equus, haud esset absolute, & proprie homo: haud ergo tum esset rationalis: propositio ergò conditionalis id modò affirmans prius est falsa, & non vera. Verum nullo negotio refellitur hæc solutio. Namque idcirco, homo equus, est chimæra, quoniam in illo vera, & propria ratio, hominis cum equo, à quo reuera distinguitur, ratione tamen vnitur, atque identificatur: falso ergò supponitur, hominem equum haud esse, si detur absolute, & proprie hominem. Quod autem sit chimerice homo, hoc arguit, non esse tantum hominem verum, sed eum, & simul equum cum homine repugnantem. Atque hinc facile constat ad id, quod adducitur de homine picto.

74 Secundo alij succumbunt oneri, respondentque, eam propositionem esse simul veram, & falsam; videlicet, quia eius obiectum est, & non est, omnisque propositio ab eo, quod res est vel non est, dici debet vera, vel falsa. Caterum in primis obiectum eius propositionis, cum sit impossibile, mirandum non est, quod oppositas, & realiter contradictorias denominationes subeat, nimirum fore, & non fore rationale, si daretur. At propositio nostra haud est impossibilis, haud ens rationis, & chimericum, sed potius ens reale positivum: quorsum ergò, more sui obiecti, suscipiat prædicata realiter opposita, cuiusmodi sunt veritas, & falsitas. Hinc certe euidenter colligitur, nullum esse in præsentī argumentum ab obiecto ad actum, à quo tamen ad hunc argui posse insinuant aduersarij.

75 Ad hæc repugnat, eandem propositionem esse simul veram, & non veram, ut lumine naturæ claret, utque his Recentioribus, quibus cum cernimus, est in concessio: at ea propositio simul vera, & falsa, esset hoc ipso simul vera, & non vera: veritas eius supponitur. Non veritas suadetur, & perquam facile: nam primò eam esse falsam est esse non veram, uti esse irrationale iuxta omnes est esse non rationale: deinde uti ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, unde hi neoterici colligunt, eam propositionem conditionalem esse simul veram, & falsam; ita etiam ex eo, quod res est, vel non est, dicitur propositio vera, vel non vera: si namque res est, propositio est vera: quod si non est, ea erit non vera: quo ergò iure à contrariis propositio in controuersia posita censetur simul vera, & falsa; eodem censenda: & admittenda est simul vera, & non vera: quo tamen nihil fingi potest à veritate magis alienum.

Præterea: Deus etiam cognoscit, quid futurum esset, si daretur homo equus, eumque adeò fore rationalem, & etiam irrationalem, ut optime docet P. Theophilus Raynaudus in explicatione nouæ libertatis 2. parte cap. 6. n. 29. & in lib. qui inscribitur optimæ vitæ finis pessimus cap. 1. o. n. 16. utque hoc argumento demonstratur aperte: Deus modo cognoscit hanc propositionem nostram, si daretur homo equus, esset rationalis, eiusque affectionem omnem, cognoscit ergò eam esse simul veram, & falsam: renamque vera veritatem habet, & falsitatem iuxta aduersarios, sed eam esse veram, est, si daretur homo equus, fore rationalem; & eam esse falsam, est, si daretur homo equus, fore irrationalem, seu, quod iuxta est, non fore rationalem: Deus igitur modò affirmat, quod, si daretur homo equus, esset rationalis, & simul non esset rationalis: iam ergò diuina propositio erit simul falsa, & vera, ubi talis sit nostra: quo tamen nihil cogitari potest magis absurdum.

77 Dicendum ergo est, eam propositionem conditionalem de subiecto impossibili esse veram, & nullatenus falsam: id, quod manifestè conuincitur argumento posito ad finem numeri superioris. Ad probationem contrariam respondeo, non esse obiectum falsificare propositionem, cum non esse excludit eius esse: quandoquidem ergò non esse rationalem hominem equum non excludit ab eo, si detur, esse rationalem, eò quod sit chimæra quædam, adeoque utramlibet contradictionis amet partem, inde est, quod propositionem conditionalem affirmantem eum esse rationalem, illius irrationalitas non falsificet.

78 Instabis tamen primo: esse rationalem verificat propositionem illam, tametsi non excludat à subiecto chimerico, hominem scilicet equo, non esse rationalem: contra ergo non esse rationalem falsificat eam propositionem, estò non reiciat ab homine equo esse rationalem: Instabis secundo: non est potior ratio, cur dicatur ea propositio vera à rationalitate conditionata hominis equi, quam falsa à non rationalitate conditionata illius: quin magis est, ut falsa sit, quam vera, quia denominatio sequitur debiliorem partem. Instabis tertio: contradictoria eius propositionis, nimirum hæc, si daretur homo equus, non esset rationalis, siue esset non rationalis, est vera: ergò & falsa ea, cui contradicit: fieri enim nequit, ut sint simul veræ duæ propositiones contradicentes inuicem: Instabis quartò, implicari in adiecto, cum dicitur irrationalitatem, siue non rationalitatem haud excludere rationalitatem: ecquid enim est, quidpiam non esse rationale, siue esse irrationale, quam rationalitatem eliminare?

79 Harum instantiarum nulla magnopere vrget. Ad primam respondeo, ab eo, quod res est propositio nem affirmatiuam dici veram, non verò ab eo, quod suū non esse excludat pro quodā posteriori signo rationis: nil mirum ergò, si propositio, de qua sermo, sit vera, propter id, quod eius obiectum sit, & homo equus conditionatè sit rationalis, quantumlibet eum esse non rationalem haudquaquam excludatur. Caterum non esse obiectum falsificare propositionem affirmatiuam, si sit plenè non esse eius, illudque simul esse neutiquam compatiatur: quamobrem ea propositio, qua de loquimur, haud erit falsa, propterea, quod si daretur homo equus, non esset rationalis: simul enim foret rationalis. Ad secundam instantiam respondeo, esse potior rationem, cur propositio illa dicatur vera à rationalitate conditionata hominis equi, quam falsa ab eius irrationalitate conditionata, eam scilicet, quæ proximè tradita est.

Ad

80

Ad tertiam instantiam respondeo, propositionem illam conditionatam, si daretur homo equus, esset rationalis, nec non eam, si daretur homo equus, non esset rationalis, aut non esse contradictorias proprie, aut etiam si tales sint, esse simul veras iuxta dicta in solutione secundae difficultatis. Ad quartam instantiam respondeo, esse quidem repugnantiam, & implicationem manifestam, quod non esse rationale, siue exclusio rationalitatis non sit eius exclusio: verum hanc contradictionem intimè inuolui in conceptu hominis equi ac supponi ad praesentem questionem. Vide dicenda à nobis in Physica l. 4. tract. 2. cap. 8.

C A P V T VI.

An eousque impossibilis sit veritas cum falsitate, ut ne respectu diuersorum obiectorum eadem propositio possit esse simul vera, & falsa?

81

Propositio aliqua quadrifariam plura representare potest: primo copulatiue, ut Petrus, & Paulus currit: secundo disiunctiue, ut Petrus, vel Paulus currit: tertio indefinitè, ut homo currit: quarto disparatè ut Petrus currit, Paulus currit. Quibus positis, assero primò. Propositio copulatiua nequit esse simul vera, & falsa respectu diuersorum obiectorum. Probat in primis, quia propositio copulatiua tendit in omnia obiecta sua per modum vnius, & non in vnum seorsim ab alio, sed in vnum cum ordine ad aliud: eius igitur veritas sumi non potest ab vno obiecto seorsim ab alio, sed ab utroque instar vnius, atque adeo nequit esse simul vera ab vno obiecto, & ab alio falsa. Antecedens est perspicuum. Consequètia probatur, quia ob id veritas propositionis vllius sumi nequit à subiecto seorsim à prædicato, aut è contrario, sed à subiecto, prædicato, & copula ritu vnius, quia subiectum, prædicatum, & copulam, non seorsim, aut cum præcisione vnius ab alio, sed per modum vnius, & cum relatione, & comparatione mutua, actus verus quatenus verus respicit: similiter ergo, &c. Rursus secundò, si hæc propositio copulatiua, *Petrus currit, & Paulus currit*, intuitu diuersorum simul vera, & falsa esset, eadem ratione hæc copulatiua, *Petrus non currit, & Paulus non currit*, contemplatione diuersorum simul vera, & falsa esset quamobrem hæc duæ copulatiue ita comparatæ essent, ut ambæ incapaces essent simultaneæ veritatis ac falsitatis gratia eiusdem obiecti: proinde essent contradictoriæ: at propositioni copulatiue affirmanti propositionem disiunctiuam negantem contradicere superius demonstratum est lib. 4. tr. 4. c. 12.

82

Assero secundò: Propositio disiunctiua nequit esse simul falsa, & vera comparatione diuersorum. Probat in primis rationes nuper positas huc applicari faciles. Nam in primis propositio disiunctiua representat plura per modum vnius, & non duntaxat plurius, ac tamen diuersa exprimat, cæterum non nisi cum eorum confusione, & relatione quadam per particulam, vel expressa. Deinde, si hæc propositio, *Petrus currit, vel Paulus currit*, est simul vera, & falsa, talis etiam erit hæc, *Petrus non currit, vel Paulus non currit*: earumque prior eatenus erit vera, qua posterior est falsa, & eatenus falsa, qua posterior est vera: ambæ ergo erunt contradictoriæ. Consequens est falsum: quod enim priori contradicatur, non disiunctiua vlla negans, sed potius copula-

tiua aliqua, videlicet hæc, *Petrus non currit, & Paulus non currit*, ostensum est à nobis lib. 4. tra. 4. c. 12. paulò suprà citatis.

83

Et sanè haud comperio inter authores, vel vnum, qui assertioni huic, aut præcedenti refragetur. Vtriusque ratio à priori, eaque me iudice manifesta est hæc. Ad veritatem adequatam propositionis copulatiue omnium suorum obiectorum desideratur existentia, & ad eius omnimodam falsitatem cuiusvis non existentia sufficit. Contra vero ad veritatem totalem propositionis disiunctiue satis est vnius obiecti sui existentia, & ad eius omnimodam falsitatem opus est, ut nullum eius obiectum existat ut per ipsam affirmatur. Hæc earum propositionum, hic tendendi modus. Aut ergò, ut exemplis positis insistant, tam Petrus quam Paulus currit, & ita hæc propositio, *Petrus currit, & Paulus currit*, est omnino vera, aut saltem alter eorum non currit, & ita omnino falsa. Deinde neutro eorum currente disiunctiua erit omnino falsa, aut vno solo currente omnino vera. Operæpretium haud est in his amplius immorari: adeo sunt per se, ac sponte sua manifesta.

84

Assero tertio: Propositio indefinita simul vera, & falsa respectu diuersorum esse nequit. Suadet in primò: quia ea propositio representat plura per modum vnius, & non vndequeque plurium, idque non minus, imò multo magis, quam propositio disiunctiua, aut copulatiua, cum hæc pluralitatem aliquam, à qua illa præscindit exprimat: at propositio disiunctiua, & copulatiua ideo simul vera, & falsa esse non potest respectu vnius obiecti seorsim ab alio, quia non representat vnum seorsim ab alio, sed potius plura per modum vnius: ergo à fortiori propositio indefinita simul vera, & falsa esse non sustinet. Rursus secundò propositio indefinita in materia contingenti æquivaleret particulari, seu disiunctiue, & in materia necessaria, siue impossibili propositioni vniuersali, seu copulatiue, ut omnibus dialecticis est in confesso: sed propositio copulatiua, & disiunctiua ita institutæ sunt, ut neutra simul vera, & falsa esse possit, gratia diuersorum: similiter ergo propositio indefinita, &c. siquidem propositio partim vera, & partim falsa æquipollere nequit omnino veræ, aut non minus falsæ.

85

Recentiores nonnulli oppositum tuentur, quia eadem, inquiunt, propositio respectu instantis successiue, quod indefinitè significat, successiue vera, & falsa esse potest: similiter ergo eadem propositio intuitu obiecti permanentis, quod indefinitè significat simul vera, & falsa esse sustinet. Allegant etiam B. Thomam 1. part. quæst. 17. art. 3. vbi definitionem circuli simul veram, & falsam respectu diuersorum adasserit.

86

Verum in primis quod eadem propositio successiue mutabilis sit de vera in falsam propter indefinitam instantium representationem, satis, cumulateque confutatum est supra cap. 1. 2. & 3. huius tractatus. Deinde esto eadem enuntiatio successiue, & ex intervallo esse posset vera, & falsa, id eo præcisè non esset, quia instans vnum, vel plura indefinitè representat, perperam ergo arguitur hinc ad propositionem de subiecto indefinito: consequentia est perspicua: suadet antecedens, quia aliàs non successiue, sed simul, & in primo instanti suæ prolationis ea propositio respectu diuersorum instantium simul vera, & falsa esset, quandoquidem in primo instanti representat instans indefinitè, & propterea omnia instantia, nec disiunctiue, nec copulatiue complectitur. Quamobrem, si propositio aliqua successiue vera, & falsa esse potest respectu diuer-

diuersorum instantium, non propterea id verum est, quoniam ea indefinitè refert, sed ob alias rationes, quæ, cum non procedant in hac enunciatione; *homo currit* ex. g. non est, cur ea simul vera, & falsa esse sustineat. Quod afferunt aduersarij ex B. Thoma non vrget: etenim Sanctus Doctor ibi non asserit, eundè actum esse simul verum, & falsum, sed diuersos, quorum alter definitionem circuli circulo, & alter eam homini attribuat: id quod ex contextu manifestè liquet: siquidem loquitur de definitione circuli & in ea exemplum adhibet: at nullus actus definiens circulum idem manens esse potest simul verus, & falsus: omnis enim est in materia necessaria, aut remota prout definito, vel alij à definito definitionem applicat, atque adeo omnis est, aut omninò falsus, aut ex toto verus.

87 Assero quartò: aliqua propositio potest esse simul vera, & falsa intuitu diuersorum, quæ præcisè, seu disparatè respiciat. Ita P. Valentia 1. part. quæst. 17. punct. 3. P. Ripalda tom. 1. de ente supernatur. disp. 47. sect. 2. num. 16. & P. Compton. disp. log. sect. 5. ac Cardin. de Lugo de fide disput. 4. num. 103. Idem innuit P. Hurtadus disp. 5. de anima sect. 7. §. 56. & quod caput est, Augustin. lib. 2. Soliloquiorum c. 5. Assertio probatur hunc in modum, Possibilis est propositio illa, *Petrus currit, Paulus currit*, aliavè similis, quæ plura disparatè, & præcisè asserat. At simul vera, & falsa esse potest respectu diuersorum, videlicet, si Petrus currat, & Paulus non currat, ergo, &c. Maior probatur primo: quia eadem visio materialis plura præcisè, & disparatè respicit: quando namque vnâ, & eadem candorem & nigredinem conspicio, ea nequit esse copulatiua aut disiunctiua: sicut enim sensus materialis suam ob imperfectionem componere, & diuidere non potest, ita nec copulare, aut disungere: similiter ergo aliquis intellectus nostrî actus plura valet præcisè, seu disparatè attingere. Secundo: quia idem actus intellectus diuini præcisè, & disparatè omnia obiecta creata repræsentat: non ergo est, cur nobis similis repræsentandi modus denegandus sit, cum perfectionem infinitam ex suo cōceptu non arguat. Tertio demum; quia actum aliquem intellectus nostrî disparatè, & præcisè exprimere plura, aliud non est, quam eum pluribus æquivalere in modo repræsentandi: in quo quæ repugnantia?

88 Probata maiore principali, principalis minor probatur primo: quia, actus ille *Petrus currit, Paulus currit*, Petro currente, & Paulo, quiescente, affirmaret, solum Petrum currere, esset verus: at modo ita affirmat Petrum currere, ac si nihil aliud affirmaret: modò igitur est verus: deinde eadem ratione falsus est; siquidem eodem modo affirmat Paulum currere, ac si nihil aliud affirmaret. Secundo: quia non est potior ratio, cur is actus sit verus merito Petri currentis, quam falsus propter id, quod Paulus non currit: respectu ergo vnus est verus, & contemplatione alterius falsus. Dices esse, cur potius falsus sit, quam verus, videlicet, quia denominatio sequitur debiliorem partem, quæ citrà dubium est falsitas. Contra tamen sic insurgo: vetus illa parricidia tunc locum habet, cum vtraque pars simul denominare nequit: id autem modò interrogamus, cur veritas, & falsitas simul denominare nequeant eum actum verum, & falsum respectu diuersorum. Quamobrem præfata solutio principium repetit.

89 Tertio ea propositio, aut est omnino vera; & ita eius contradictoria, nimirum hæc, *Petrus non currit, Paulus non currit*, eadem ratione omninò vera erit: cur enim prior duplicem cursum affirmans ra-

tione vnus solius omninò vera sit, & hæc posterior duplicem cursum negans vno solo deficiente non sit etiam omnino vera? quare duæ contradictoriæ simul, vt aiunt, & semel erunt omninò veræ, quod tamen impossibile est. Aut, quod verisimilius est, ea propositio est omnino falsa Petro currente, & Paulo quiescente: & ita eius contradictoria, videlicet, *Petrus non currit, Paulus non currit*, eadem ratione omninò falsa erit, vt intuitu clarebit: proinde duæ contradictoriæ simul falsæ erunt, quod non minus falsum est: Vt ergo vtrumque videtur incommodum, asserendum est, duas illas contradictorias esse simul veras, & falsas respectu diuersorum, ita, vt respectu vnus obiecti altera vera, & altera falsa sit, & intuitu alterius vna etiam vera, & alia falsa: in quo nulla apparet repugnantia: haud enim aliud est, quam contradictorias materialiter sumptas esse simul veras, & falsas, non verò formaliter vsurpatis, ac prout sunt contradictoriæ, & vnum, idemque obiectum ambæ respiciunt.

Dices, contradictoria illius propositionis, *Petrus currit, Paulus currit*, esse non quam assignauimus, sed potius hanc, *non Petrus currit, & Paulus currit*, aut certè hanc, *non Petrus currit, vel Paulus currit*. Sed in contrarium est cum propositio, de qua controuertitur, particula, & vel, careat non esse, quapropter eius contradictoria ea gaudeat. Dices secundo contradictoriam eius propositionis, qua de agimus, esse hanc; *non Petrus currit, Paulus currit*. Contra tamen argumentor: propositio controuersa duplicem habet copulam principalem: ambæ ergo negari debent: at altera solum in assignata contradictoria negatur. Quid? quod particula, non, haud tantum in hac vltima contradictoria, verum etiam in duabus primis infinitat, vt potè subiecto, seu nomini præposita, & non negat, sicut ad contradictionem oportet. Vide quæ diximus in hanc rem suprà libro quarto, tract. 4. capite 12. parum ab initio.


Quartò tandem: eadem propositio potest esse clara, & obscura, certa, & incerta, aut, quod pertinè est, fidei, & scientiæ, vel opinionis, & scientiæ respectu diuersorum obiectorum, vt ex communi nostrorum sententia suo loco ostendam. Cur ergò hic actus, *Petrus currit, Paulus currit*, intuitu plurium obiectorum simul verus, & falsus esse nequeat? sicut enim veritas, & falsitas comparatione eiusdem obiecti in eodem repugnat actu, ita similiter claritas, & obscuritas, certitudo, & incertitudo: uti ergo contemplatione diuersorū claritas, & obscuritas, certitudo, & incertitudo conuenire possunt in eundè actum, quidni etiā veritas, & falsitas? Aut paulo aliter: eadem cognitio etiam copulatiue, vel disiunctiue in plura tendens, nihilominus esse potest clara, & obscura, certa, & incerta respectu illorum: Ergo à fortiori cognitio aliqua præcisè, ac disparatè proficiscens in plures res poterit esse vera, & falsa earum intuitu, licet si in eas ferretur copulatiue, aut disiunctiue haud posset veritatem cum falsitate coniunctam earum comparatione sortiri propter rationes huius initio capitis propositas.

Obijcies primo. Propositio de subiecto vniuersali, quæ formaliter, nec copulatiua, nec disiunctiua est, æquiuallenter tamen alterutra est pro materia contingenti, aut necessaria, seu remota, in qua existit, vt declaratum est supra lib. 4. tract. 3. cap. 2. similiter ergo propositio de subiecto non vniuersali, quæ formaliter, nec est copulatiua, nec disiunctiua, qualis est ea, *Petrus currit, Paulus currit*, æquiuallenter tamen copulatiua, vel disiunctiua erit, atque aded,

aded, aut omnino vera, aut omnino falsa erit, sicut copulatiua seu disiunctiua, cui æquipollet; alioqui certè aliud valitura.

93 Respondeo: propositio de subiecto vniuersali, cuiusmodi est hæc: *homo currit*; aut hæc, *homo est animal*, plura per modum vnius subiicit, & cognoscit, seu, quod iuxta est, plures affirmationes per modum vnius affirmationis virtualiter, & æquiuenter continet: vna autem affirmatio alteri vniri quodammodo nequit, nisi per particulam, & aut particulam, vel, proinde id genus propositio æquiuenter particulam cohibebit alterutram, & copulatiua erit, aut disiunctiua. Cæterum propositio de subiecto singulari suapte natura multiplici, ac disparatè cognito plura per modum plurium affirmat, nec æquiuenter complectitur plures affirmationes inter se unitas, seu comparatas: non est ergo, cur æquiuenter copulatiua sit, aut disiunctiua.

94 Obiicies secundò, eundem actum futurum esse posse simul bonum, & malum respectu diuerforum obiectorum, ea si disparatè amplectatur. Verum hoc an repugnet, necne, non est huiusloci. Interim consule Ripaldam citato lib. 3. de ente supernat. disput. 47. sect. 2. circa hanc, & alias similes sequelas.



TRACTATUS III.

De Variis speciebus Veritatis.

CAPVT I.

De veritate complexa, & incomplexa.

1 **V**ERITAS complexa est ea, qua intellectus dicit intra se rem esse, vel non esse, quæue componit, aut diuidit. Ad hanc veritatem respexit Aristoteles lib. 1. de interpret. cap. 1. his verbis, *quemadmodum autem in anima conceptus interdum sine veritate, falsitateque est, interdum vero talis, ut alterum horum ei competat necessario; sic & in voce esse videtur: nam & falsum in compositione consistit*. Et lib. 6. metaph. cap. 2. quod autem (inquiens) *tantum verum ens, & non ens, ut falsum: quoniam circa compositionem, & diuisionem est, & omnino circa partitionem contradictionis: verum etenim affirmationem in compositione habet, negationem vero in diuisione: falsum vero huius partitionis contradictionem*. Eodem modo loquitur cap. 3. lib. 1. primi de interpret. & lib. 3. de an. cap. 6. aliisque in locis. Ad eandem veritatem alludit B. Thomas 1. p. q. 16. art. 2. *proprie loquendo veritas est in intellectu componente, & diuidente non autem in sensu, neque in intellectu cognoscente quod quid est*. Eius etiam meminit. 1. contra gentes c. 59. & quæst. 1. de verit. art. 3. Tandem veritatem complexam, ac perfectam veritatis nomine haud raro absolutè vocari solitam in compositione, & diuisione collocant Durandus in 1. dist. 19. quæst. 5. num. 14. Herueus quodlib. 3. q. 1. art. 2. Caietanus citata 1. p. q. 16. art. 2. & ceteri communiter auctores. Suadetur autem facili negotio: namque hoc ipso, quod intellectus componat vnum cum alio, asseratque Petrum v. g. esse album, si reuera est albitudine præditus, resultat reductio quædam in nobis, ut luce clarius: ergo & veritas: quæ, quia ex genere suo in compositione, aut

diuisione plurium fundatur extremorum, quidni appelletur complexa?

Veritas incomplexa in eo sita est, quod cognitio aliqua sit imago, & representatio propria cuiusdam obiecti, siue de eo aliquid quodammodo asserat, aut neget, siue secus. Hanc admittunt, ac esse propriè loquendo veritatem, tametsi diuersi generis à nuper explicata Aristotel. 3. de anim. cap. 6. text. 26. & 9. metaph. cap. 12. B. Thomas 1. p. q. 16. art. 2. supra laudatis, & q. 17. art. 17. art. 3. corp. Capreolus in 1. dist. 19. q. 3. art. 1. conclus. 3. Ferrara 1. contra gentes cap. 59 & 60. Soncinas 6. metaph. q. 17. Agidius quodlib. 4. q. 7. Suarez di. p. 8. metaph. sect. 3. 1. onfeca lib. 4. metaph. c. 2. q. 6. sect. 4. Balthasar Tellez in logica disp. 11. sect. 2. Hurtadus disp. 9. de an. sect. 2. Arriaga disputat. 14. log. sect. 4. quamuis hi duo posteriores vocum vsu à nobis dissideant. Probatur autem, ac non agrè: eo ipso, quod quis tantum apprehendat animal rationale, seorsim ab omni compositione, aut diuisione, censetur verum, & quidditatum hominis conceptum efformare: negari ergo nequit, quin propriè loquendo sit aliqua veritas incomplexa distincta ab ea, quæ complexa dici consuevit, & est in componendo, & diuidendo.

Verumenimvero P. Vazquez 1. p. tom. 1. disp. 75. cap. 2. negat esse veritatem propriè eam, quæ dici solet incomplexa, & absque compositione, & diuisione visitur. Primò autem mouetur testimoniis Aristotelis, B. Thomæ, & aliorum antiquorum, quorum est facta mentio huius initio capituli. Cæterum omnes id tantum volunt, veritatem aliquam peculiariter sitam esse in componendo, & diuidendo, nimirum complexam: at aliam incomplexam veritatem propriè talem haud abnuunt, possunt ve: Quid est autem, quapropter veritas complexa speciali modo appellanda sit, veritas declarabitur paulo infra.

4 Mouetur secundo, quia in voce simplici nulla est veritas stricte, & propriè, nulla, nisi in oratione composita: nam, si quis proferat hanc vocem, *homo*, nondum verum dicit, aut falsum, ac tum censetur alterutrum dicere, cum ait, *homo est animal*, *homo non est albus*, aut quidpiam simile. Pari ergo ratione in conceptu simplici, nihilque componente, aut diuidente nulla est veritas rigorosè talis: eo potissimè, quod voces non, nisi per imitationem conceptum, ac denominatione ab eis petita veri nuncupentur. Sed dicendum est, simplicem vocem haud esse veritatis expertem: quis etenim neget hoc vocabulum, *homo*, esse verum nomen hominis; eiusque proprium, ac germanum signum; contra verò hanc vocem, *leo*, non, nisi improprium, falsumque, & translatitium eius nomen propter illius aliquando cū leone similitudinem quandam in fortitudine, feritate, aliasve virtutibus, aut vitiis. Quod autem dici consuevit, simplicem vocem, nec esse veram, nec falsam, id accipiendum est de sola veritate, ac falsitate complexa, non verò de omni propriè sumpta.

5 Tertio mouetur P. Vazquez: Contraria sunt circa idem subiectum, & ab eo se mutuo depellant: at simplex conceptus haud est capax falsitatis: licet enim apprehensio aurichalci falsa auri apprehensio dici soleat, sicut ipsum aurichalcum falsum aurum appellatur, remotè tamen, & occasionaliter talis dici debet, eò quod sit occasio iudicij, quo quis aurichalcum verum aurum esse falso diiudicet, cum interim rigorosè ac propriè loquendo sit vera, & germana notio aurichalci, & non alterius obiecti: ergo etiam veritatis propriè sumptæ est incapax conceptus simplex: veritatem autem habet incomplexam.

hæc